B. N. C.
FIRENZE
1047
14

1047 14

B

XVIII

V1C7

ORATIO PETRI VICTORII

HABITA FLORENTIAE IN FVNERE *REGINAE MARGARITAE AVSTRIACAE*

PHILIPPI III. Hiſpaniarum Regis Vxoris.



1047
14

BIBLIOTHECAE FLORENTINAE PVB.
BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FLORENTIÆ,

Apud Coſmum Iuntam. M. DC. XI.

De conſenſu Superiorum.

ORATIO
IN MARGARITAM AVSTRIACAM
PHILIPPI III. Hiſpaniarum Regis VXOREM.

SI quid vnquam, Sereniſsime Princeps, accidit funeſtum, ſiquid triſte anteactis temporibus euenit, ſi grauia vnquam infortunia, prouincias, regnaque conflictantia, varietatis humanæ memorabilia dedere documenta, ea omnia anguſtiores habuiſſe triſtitiæ, atq; angoris fines ſæua calamitate; experimur, quam improuiſam modo, & inopinatam pæne vniuerſus orbis excepit. Siquidem potentiſsima Hiſpaniarum Regina Margarita repentina morte erepta, ita plurima imperia, terrarumque loca perculſa ſunt, vt quaſi de proprio vulnere fleuerint, & quæ mundi plaga minus conqueratur, ea vehementer dolens, acerbo caſu afflictam ſe fuiſſe lamentetur. Germania filiam, Dacia, Polonia, Italia ſororem, innumera Hiſpaniarum regna ſponſam, omnes Chriſtianorum prouinciæ affinem, Catholica ipſa religio columen ſe amiſiſſe, mœrore, luctu, planctu teſtantur. Nimirum labefactum decidit illud diuinæ virtutis, ac ſupremæ poteſtatis nobiliſsimum ſimulacrum, quod, dum ſtaret, omnium oculos, omnium mentes, omnium animos ita rapuerat, vt noſtri ſeculi felicita

ti ornatum attuliſſe pulcherrimum videretur. Doleat ſane orbis neceſſe eſt, talem ſibi feminam ablatam, tantum enim res illius imminutæ ſunt, tantum illi demptum ſplendoris, quantum inclitæ Reginæ ſors nunc melior exiſtimãda eſt: caducisq; honoribus ij præſtant, quos æternos eſſe conſecutam arbitramur. Itaq; ſi ad noſmetipſos, noſtramq; condicionem reſpiciamus, vt nihil contingere moleſtius potuit, ſic, ſi ad ipſam animum, mentemq; conuertamus, eam obijſſe conqueri non liceat, niſi lamentari velimus, ſuprema cumulatam beatitudine, quam auctam ſemper optauerimus felicitate. Vt pium hoc, & ſacroſanctum munus, Auditores, non tam ad calamitates noſtras deſlendas, deplorandasq; regio hoc apparatu a Principibus noſtris celebretur, quam ad Reginæ virtutes prædicandas, ad extollendas magnas animi dotes, quas agnoſcere incũdum, enumerare negatum ſit. Scilicet, quos virtute humana maiori præditos admirati homines fuerint, non iiſdem, quibus ceteros lacrimis, non iiſdem honoribus cohoneſtare decet, ſed alia quadam, nobilioreq; pompa, dimittere. Nobilius quid, quam lacrimæ ſint, eorum merita exigunt, memoriam, laudes, gloriam heroicæ illorum virtutes expoſcunt. Quod ſi qua vnquam femina ex hominum cœtu auolauit, cui hæc excelſiore ratione debeantur, ea Margarita Hiſpaniarum Regina fuit, cuius magna in homines merita, eximię dotes, ſingularia præſtantiſſimi animi bona ſpectanda nunc, ſuſpiciendaque nobis proponuntur: adeo cuncta egregia, adeo rara, illuſtriaq;, vt, in iis contemplandis, liceat admirari excellens quoddam, ac cœleſte decus: præclarum indicium, nobiliſſimam Reginam, longe virtute magis, quam regio diademate, mortalium ſortem ſuperaſſe. Atque equidem ſi mihi ipſi, cui tu, Sereniſſime

Prin-

Princeps, tantæ virtutis deſcribendæ onus difficillimum impoſuiſti, ea ratione aggredienda eſſet, qua munus hoc exequi mos oratoribus fuit: & quæ ab iis præcipue celebrari conſueuit longi ſtemmatis laus; huic quoque Reginæ tribuenda foret: quæ vtique de generis dignitate, atq; amplitudine commemorari poſſent? quam mihi liceret, eam omnibus, quæ vnquam vixerint, originis vetuſtate, maiorum gloria, antiquis, maximiſq; imperiis præferre? Cum prælucentes illi paternæ nobilitatis faces intuentibus, facilem rationem ſuppeditent, Auſtriacorum Principum claritas, tot vrbium conditores, populorũ, prouinciarumq; domitores: multa, vaſta, noua imperia, ab ipſa pæne fabricata mundi machina, Auſtriacæ genti aſſeruata. Jam toties ad eam delatum Romanorum Jmperium, quoties non alia ſibi illatum vidit regnantium domus, prudentiã, pietatem, regias omnes virtutes illic potiſſimum effulſiſſe confirmant. Vt ſtirps hæc, poſt longiſſimam annorum, regnorũq; ſeriem, orbis pariter, & Catholicæ religionis incrementis propagata ex fauſtiſſimo Rathbodi, atq; Jthæ coniugio, quo Auſtriacorum gloriæ Lotharingiorum Principum virtus iuncta fuit, eos Heroas ferre videatur, quos mortalia corpora nactos, cetera Diis eſſe ſimillimos, autumauit antiquitas. Si vero ad maternam originem conuertamus animum, illuſtria ſe exhibeant Bauarorum Principum nomina, qui multis ſeculis iura, legeſq; populis dederint, bellorum gloria plurimas prouincias obierint; & ad excelſam Jmperij dignitatem non ſemel fuerint euecti. Sed cur maiorum decora ad eam Reginam laudandam afferantur, quæ propria luce coruſca, alieno non indigeat ſplendore? Addatur potius vetuſtiſſimarum familiarum titulis, ex generoſo earum ſemine exortam fuiſſe Margaritam.

Liceat tantum inde coniectare, feminei generis ornamentum hoc euehere, bonis omnibus cumulare, felicitatibus extollere, immortali Deo fixum, ſtatutumque fuiſſe, cum à tantis exordiretur principiis, tantæ amplitudinis tanta initia poneret, admirationis fundamenta iaceret. Vtinam, vt maiora quædam, nobis ſe ſe offerunt ſuſpicienda, ita pari ipſe inſtructus eloquentia ad ea explicanda accederem: quo cunctis planum facerem, in hac Regina, quæ ſingula Principes feminas valeant exornare, ita cuncta enituiſſe, vt, quam pij omnes homines diu exoptarint, quam ſummi Philoſophi mente tantum conſecuti ſint Reginarum Ideam, demiſſam cælo tandem noſtra tempora fuerint conſpicata. Prætereo libens, Auditores, eas animi dotes egregias, adhuc adoleſcentulæ diuinitus inſitas, adeo in tenera ætate ſingulares, vt in maturiore etiam perraro ſpectentur. Prætereo virgineum decus modeſtiæ, ſanctiſſimumq. pudorem, ſcientiarum cognitionem, ſtudia ſapientiæ: artem etiã regalem, cui ſe totam generoſa tradiderat, quo, dum maternis, fraternisq; pareret imperiis, optimam imperandi rationẽ addiſceret. Nam qua poſſimus nobiliore via ad præſtantiſſimæ Heroidis laudes depromendas ingredi, quam ſi Philippo III. deſponſam, virtutum præmia, Hiſpaniarum regna excipientem contemplemur? ſi ampliſſimum teſtimonium optimæ, pulcherrimæq; animi ſupellectilisque, Gratij, vix XIII. annorum ſpatio fuerat comparata, vt tunc explicaretur, cum ea mundus foret exornandus, feliciſſimas intueamur nuptias? Pace terra, mariq; inter Catholicos Principes inita, ad orbis felicitatem maximi Reges conſpirarant: poſitisq; bellis, ſingula regna puras e placidiſſima quiete voluptates percipiebant. Deerat ſolum ad res Hiſpaniarum ſecundiſſimas Catholici Re-

gis ſoboles: cum Philippus II. Rex, Regum omnium, atque Principum, qui, vel noſtro æuo, vel antiquorum memoria vixerint, proculdubio ſapientiſsimus, quo ſecurioribus animis regna ſua nobili otio fruerentur, ſtabilique Regiæ domus munimento tranquillitatem eius conſilio partam, ſuis prouinciis perennem conſtitueret, coniugem filio, Reginamq; populis delecturus, ex vna Caroli Auſtriaci ſtirpe ſupremum beatitudinis apicem eſſe comparandum animaduertit. Peruagarat ſiquidem extra ſuarum regionū limites earū virtutum fama, quibus nobiliſsimæ ipſius filiæ fulgerent: & quarum forma, ſuis tantum perſpecta erat, earum gloria, remotiſsimas etiā prouincias perſuadens, perfecerat, vt puellæ a populis in ſui imperium, a Principibus viris in regnorum partem expeterentur. Vbique auditi receſſus erant, quos Auſtriacæ ſtirpis decora, ſub educatione Auguſtiſsimæ matris Mariæ Bauaræ, colerent: receſſus nobiles, vnde ad imperia inſtructæ, tot Reginæ prodituræ erant: receſſus incliti, quorum anguſtis finibus curæ illæ, cogitationesq; concludebantur, quæ Daciam, quæ Polonias, quę Hiſpanias, quæ Etruriam noſtram, nullis, niſi ſummis, aſſuetam Principibus, ad ſummum felicitatis culmen erant mox adductura. Non igitur mirum, ſi Reges ſapientiſsimos, ſeniorem Philippum, ac Philippum filium, quos neque occulta virtus vnquam latuit, hæc, quam omnes fere Europæ populi admirabantur, non ſubterfugit. Non mirum, ſi qui egregiam regendorum imperio populorum ſapientiam, & natam rebus agendis ſingularem Caroli Patris prudentiam, non in iis ſolum Principibus, quibus regnorum hæredibus gloriabatur Germania, vigere ſenſerant, ſed floruiſſe etiam in Anna, atque Chriſtina, dum hæc Dacis, illa Polonis feliciter imperitauit, præcla-

ris didicerant experimentis, in ea ſtirpe, tanquam in Reginarum ſeminario oculos, mentemque defixerunt. Equidem ſi abſoluta ea virtus exiſtimanda eſt, de qua diſcrepantia hominum iudicia conſentiant, ea certe fuerit perfectiſſima, quæ in hac ſtirpe eluxit, e qua ſex a remotiſſimarum prouinciarum Principibus, Regibusque accitæ ſorores locupletiſſimos laudum teſtes tot populos habuerint. Iamque in Gregoriam, quæ natu maxima erat, Hiſpanorum Regum pendebant animi, cum immortalis rerum adminiſtrator, puellam æternis natam regnis, e mortalium ſedibus euocans, Margaritam tantis imperiis iampridem deſtinatam oſtendit. O præſtans nubendi ratio: O non humana ad imperium via: non iudicio hominum, nõ mortalibus conſiliis; non fallaci prudentia vxorem potentiſſimo Regi deligi; ſed diuina opera, diuina auctoritate: populorum prænuntias voces, Regum id agentium ſummam ſapientiam, miniſtras tantum eſſe: Regis vero Regum præſcripto omnia fieri. O fortunatum nimium ſenem optimum, qui poſt adminiſtratum annis XLII. inaudita felicitate imperium omniũ maximum, tot debellatas prouincias, perdomitos populos, addita paternis regna florentiſſima, hoc demum ſacro matrimonij fœdere iuncto e terris diſceſſit, ne, poſt diuinum, atque immortale factum, mortale opus aggrederetur. Quam fauſtiſſimus ille dies illuxit, quo, diuinis auſpiciis, præſenteque Deo affinitate iuncta, oblata ſpes certiſſima eſt, nobili generoſarum ſtirpium ſibimetipſis inſitarum exemplo, fore, vt ex eorum coniugio, quos idem tuliſſet Auſtriacus ſanguis, regna ſurgerent auitis maiora, naſcerẽtur filij, qui fines imperij ſimul, & orbis proferrent. Quam ille in omne æuum memorandus ſapientiſſimæ puellæ facinore? Audiit Margarita, ſe Regis om-

nium maximi vxorem ſelectam, in altiſsimo collocatam ſolio ſenſit, oblata ſibi regna omnium ampliſsima, ſceptrorum faſces, aceruos coronarum. Quis vero tunc illius animus? quæ mẽs? quę cogitatio? non id meritis deberi ſuis, non virtuti adſcribẽdũ, nec ſe tantum ſapere, vt in populi conſpectum, qui numerari præ multitudine non poſſet, eſſet illi prodeundum. Inde egregia vota, & ſemel alias auditæ preces, quas plena Deo mens concepit: non auro abundare, non hominibus placere, non laudes, non plauſus: pares tanto oneri vires, pares virtutes: qui enim niſi diuina inſtructa ſapientia ingentes populos poſſet diiudicare? Ec quem vos euentum pias preces fuiſſe conſecutas arbitremini? non ne vt quondam hominum ſapientiſsimo eas effundente, quod nec longam ſenectutem petierit, nec diuitias, inditam pectori fuiſſe, quam poſtulaſſet ſapientiam, & quæ non popoſcerit vltro fuiſſe oblata, diuitias, & gloriam, vt nulla ſimilis ante actis temporibus vixerit. Hinc ſane iam pateat, quam ſecundæ res, quam omnia illuſtria, cuncta ſingularia, diuino numine aſpirante, Margaritam conſpicuam regnis reddiderint. Hinc verbis meis certa fides, ſi qua recenſeam veſtra exiſtimatione longe maiora. Decuit egregiã virtutem, decuit votis expetitam, impetratamq ſapientiam, ita claro ſplendore emicare, vt quæ prius pulcherrima effulſiſſent, obſcurarentur: decuit ſic ad orbem illuſtrandum ſublimem virtutem prodire, vt pulſis tenebris Solem exurgentem ad ſuum decus cælo reſtituendum. Quid igitur nunc magna rerum initia, quid felicitatum primordia referam? quid Germaniæ, ea Gratio diſcedente, lacrimas, excitam ſedibus Europam, Principes viros, inuictos Duces, Germaniæ lumina Archiduces comites exponam? quid accurrentes populos, tanquam

ad cæleſtem ſpeciem inuiſendam? Debita ea erant tantæ virtuti teſtimonia. Quid tot vrbes eius aduentu illuſtratas, moderationis, ac ſanctitatis exemplo, ad virtutis amorem incenſas, atque in hoc ſuſpiciendo exemplari defixas, obire illarum officia, ac munera colere, edoctas? Quid prudentiam dicam perpulchre teſtatam in Principibus viris vbiq; occurrentibus, Alberto Auſtriaco Regis ſui Legato Tridenti, ampliſſimo denique Cardinalium collegio Ferrariæ excipiendis? quæ enim vel minima itineris pars, vel temporis momentum, beneficiis non admirandũ fuit, vel grata virtutũ nouitate non ſuſpiciendum? Veruntamen illud ſublimi dignũ præconio eſt, adeo diuinas Margaritæ virtutes maioribus quotidie honoribus fuiſſe cumulatas, vt ſupremus rerum moderator matrimonium ipſius quaſi adſe auocarit, nec alio iungi adminiſtro voluerit, quam eo, quem ſibi Vicarium terris conſtituiſſet: veniſſe Ferrariam Clementem Pont. Max. & dum ſupremus ipſe Eccleſiæ Antiſtes Reginam Regi ſacro ritu adduceret, omnes toti terrarum orbi fauſta, ac felicia eſſe auguratos. Scilicet poſt Carolum V. Imperatorem rite inauguratum, non alias nobiliſſima prouincia maius, auguſtiusq; quidquam peragi vidit, cum ſponſa Auſtriaca, cum ſponſus eſſet Hiſpaniarum Rex, cum ſacerdos vicem Chriſti gerens; cum certis perſpiceretur indicijs, non caducis tantum dignitatibus ſacroſanctum hoc connubium extolli, ſed ab opulenta auctoris ſui manu id excipere, de cuius plenitudine omnes eſſent accepturi. Nihil tunc aliud optandum reſtabat, Auditores, quam vt quam primum ad exitum ea perducerentur, quorum tanta fuiſſent exordia. Magna iam futurorum pignora erant, Italiam eximiæ virtutis periculum ſtatim feciſſe, vt in Hiſpanias mitteret quam probatiſſimam

magna

magna proſperitatum ſigna, viſos fuiſſe ventos obſecundare, & mare ipſum ad eius amplitudinem cum cælo, terriſque conſpiraſſe: vt illam fluctuantibus aquis fortunam ſuam opponere, vt Cæſarem antiquorum feliciſsimum, non coegerit: ſed ad imperium ipſius nauiganti, tanquam Tethidi ſuæ paruerit libenter. Inuecta tandem ſuas Hiſpanias Margarita tam diu exoptata, inuecta Hiſpanias Regina, ſero licet populorum votis, ſero regnorum deſiderio, ſero omnium felicitati, erupere quæ iamdiu aditum quæritabant, euentum conſecuta ſunt, quæ ingentem ſui expectationem in animis hominum excitarant: nam ſecundiſsimis ab ea die regnorum rebus viſus eſt inuectus fuiſſe Manalis Lapis, non e Martis ſacello, ſed e virtutis templo deſumptus, non ad aquas cælo euocandas, ſed ad ipſum bonorum omnium auctorem, ad regnorum preces, ad omnium vota trahēdum. Illic viſa tandem ſublimis virtus ſpectatores nacta ſuiſſe: illuc ciuitatum, populorum, regnorumq; concurſus, vbi primum conſpecta: illuc omnium oculi, vnde nouus Hiſpaniis Sol exoriebatur. Eximiam certe ſpem iniecerat ſtirps, & genus Auſtriacum: optima indoles ſpem auxerat: regia educatio confirmarat: probarāt, quæ creſcentibus annis, & viſa fuerāt, & audita. Verum ſuus tunc vnicuique ceſsit honos: naturæ, qui ab origine ductus fuerat: ſapientiſsimæ matri, qui ab optima inſtitutione. Primus regnorum ingreſſus maior Reginæ gloria. Vicit enim acceptam opinionem ipſius aduentus, qui nihil magnum ſatis auditum, aut mente conceptum eſſe patefecit: qui, famam ſuo cuncta augentem inſtituto eius minuiſſe laudes, inaudito exemplo oſtendit. Vix regna ingreſſa erat, cum admirabiles patuere regnandi artes, quibus inſtructiſsima acceſſerat: enituit populorum commoda augendi cupido: ac ma-

gnus in regna amor, propenſus in Chriſtianam Remp. animus effulſit. Interim vero cunctis animi nobilioribus habitibus ſe ſe ſpectandos exhibentibus, prima morum commendatio hominum ſimul mentes, atq; ora occupauit. Namq; Philippo Rege ſponſam Valentiæ excipiente, rara pudoris, modeſtiæque ſigna in Principe femina, aurea virtutis exempla in ſumma Regina conſpecta ſunt. Regem illa prius quam coniugem allocuta; prius ſe Regijs imperijs ſubiectam, quam in imperio collocatam, oſtendit: non ſceptra intuita eſt, non diadema, intimos potius, latenteſque animi ſenſus inueſtigauit, quo ſe melius inſtrueret ad obſequium. Nec dum ex tenerioribus annis exceſſerat, & in ea tamen virgineis animi ornamentis addita comes fuerat Matronarum decus grauitas: nulla grandioris ætatis virtus annos expectarat, ſed valde præcox in tenero æuo matura conſilia præbuit admiranda. Agnita Regi ſtatim fuit Regia maieſtas: agniti mores, ad imperium natura facti, ad obſequium arte parati: deuinxere Regiam mentem aureo vinculo graues ſermones, amplos, & excelſos oſtentantes animos. Sed quæ coniugij felicitas? par erat vtriſque animus, pariter in alterius admiratione defixa mens: Regia quadam ratione inter orbis columina decertabatur, quis ſecum præclarius actum exiſtimaret: ſponſa ad orbis imperium aduocata, Heros Reginam nactus tantæ parem amplitudini. fortunati ambo ad eandem currebant palmam, quam ex alterius amore adipiſcerentur, ignota felicitate vterq; victor pariter, atq; victus. Jam vero qui prouinciarum in Reginam animus, qui ſubito conſpectus amor teſtantur ignotæ antea laudes, & cum ipſa primum exortum nouum gloriæ genus: quod inter magnificentiſſima ſpectacula, inter ludos regia ma-

gnanimi-

gnanimitate apparatos; nihil niſi Reginam ſuam intuerentur, nihil ſpectarent populi: atq; in os illius defigere mallent oculos, quæ tamen apud eos eſſet commoratura, quam in ea reſpicere, quæ nec audita, nec viſa prius, aut in poſterum ſpectanda fo rent. Illuſtre exemplum eius ſententiæ, quæ ſapientum fuit, virtutem modo eam conſpicari poſſemus, quod tunc Hiſpanis gentibus licuit, mirabiles amores in hominum animis eſſe excitaturam ſui. Inſignis profecto laus eſt grauiſsima a frequenti populorum conuentu nanciſci teſtimonia: quod nec timor, nec adulatio, ſed vera virtutis amor ea exprimat: nec ea tamen nobis enumeranda ſint: nam ſi quo maiora imperia, atq; in plures populos poteſtatem elargitus eſt homini Deus, eo maiorem etiam vim prudentiæ in illum effudit, multo ijs præſtantiora erunt, quæ Margarita a Rege adepta eſt, cuius voluntate orbis magna pars adminiſtretur: qui cum ſtatim curarum ſociam, conſiliorumq; participem habere cæperit, quod tantum regnis eripi vtilitatis animaduertiſſet, quantum Reginæ prudentiæ ſubtraheretur, vnus omnium optime ſublimes illius virtutes teſtatus eſt. Niſi nota nimis, Auditores, in medium afferre refugerem: niſi breui ad dicendum ſpatio plura, quam par ſit, reformidarem concludere: multa vobis referrem in omnium ſalutem excogitata huius ipſius diligentia, ac vigilantia; plurima recenſerem facinora, plurima conſilia, quæ ſalutaria regnis, Reginæ fuere glorioſa. Magna mens illius erat, & muliebris virtutis terminos ipſius prudentia ſuperauerat. Humani quidem ingenij eſſe non facile quiſpiam exiſtimaſſet, arctiſsimo temporis interuallo eius imperij naturam, & conditionem perdiſcere; quod regna complectatur innumera: adeo vaſta, atq; immenſa, vt eorum vnica pars orbis nomen ad

epta,

epta Regem ſuum, ignoto maioribus titulo, noui orbis Imperatorem appellarit? adeo nullis circumſcripta finibus, vt ab occidente, in orientem, meridiem, ac ſepteintriones, ita diducta ſint, vt ijdem mundi, atque Hiſpanici Imperij fines eſſe videantur. Et tamen, quaſi ijs imperando conſenuiſſet, venientes adſe illorum legatos, ea excipiens maieſtate, qua omnium Reginam deceret; ea benignitate, qua omnium Matrem, non prius eos dimiſit, quam ſe, prouinciaſq; ſuas in optimam perueniſſe tutelam agnouerint, & Reginam aduentaſſe ſenſerint, cui non res Hiſpaniarum ſolum bene cognita eſſent, ſed earum etiam regionum, quarum illi vix audita eſſe nomina arbitrabantur. Enimuero Regibus Hiſpaniarum æternus Pater antea dederat eſſe prudentiſsimis, idq; in ſui nominis, Eccleſiæq; gloriam, cui illorum armis prius, mox etiam conſilijs, latius patuere fines: admirati id ipſum maiores noſtri fuerant, cum potentiſsimos Reges quaſi ex alta ſpecula, in vniuerſum orbem reſpicientes cernerent: obſtupueramus ipſi, cum Philippum hunc III exceptum à patre imperium adeo ſapienter adminiſtrantem vidimus, vt adoleſcens adhuc longæui ſenis prudentiam aſſecutus eſſe videretur: tunc vero noua regnorum felicitas fuit, ſimillimam adeſſe Reginam: cuius ea vis ingenij, ea acies, quæ à ſapientiſsimo coniuge præconium promeruerit, quod à viro ſuo Perſarum Rege olim Aſpaſia conſecuta eſt, nullius vnquam rei Regem pœnituiſſe, quam ſecum communicaſſet. Quod ſi eius immenſæ benignitati, qui omnibus præeſt, accepta hæc ferenda non eſſent, affirmare neceſſario cogeremur, non idem cælum, non eadem aſtra, quæ ceteris naſcentibus ſplendeſcunt, hac oriente fulſiſſe: neque enim tam fauſta emicare ſidera, vt parem mulieri

virtutem,

virtutem, paria regnis bona impertiantur, ij etiam crediderint; qui cuncta ipſorum ſubiecere poteſtati. At ſummum hunc Regiæ prudentiæ ſplendorem conſpicuum magis reddebat lux beneficentiæ. Ornari enim ijs præſtantiſsimis virtutibus oportere magnanima Regina animaduerterat mortales Principes: nam quibus alijs melius ſe ſe ad immortalis Dei normã conforment, quam duabus hiſce, quibus imperium omnibus vtile, ſingulis amabile, cunctis admirabile reddant? Quoties, Auditores, eius nomen tota Hiſpania percrebuit, quod, dum ciuitatibus, ac prouincijs prouida inuigilaret, ſimul etiam priuatis benigna proſpiceret? Quoties in eius laudes ſe ſe regna effuderunt, quod, dum vniuerſis conſuleret, quod Regium erat, collocare etiam in ſingulos homines beneficia ſtuderet, quod, nec vnius vrbis Principi, nę dum tot regnorum Reginæ licuiſſe foret exiſtimatum. Non ea ſecus ab altiſsimo ſolio regna ſua reſpexit, non ſecus Principes viros, quorum res eſſent florentiſsimæ, & ſæua fortunę iniuria exagitatos, proſtratoſque homines, quam e cælo Sol terrena diſpiciat: qui ita vniuerſa intuetur, ac radijs fouet, vt rebus etiam ſingulis benigno lumine præbeat vtilitatem: nihil dignitate minor, quod minimis etiam faueat, ſed eo diuinior, quod nihil omnino viuat, quod eius non viuat beneficio. Nihili regias opes Margarita faciebat, ſi alios inopes ſpectabat, nihili ingentes theſauros, nihili Indicum omne aurum, niſi quatenus aliorum leuare paupertatem poſſet. Sed parum Regiæ magnanimitati erat aurum effundere: parum externa bona elargiri, quorum diuinitus Regibus eſt iniuncta diſtributio: niſi ea etiam, quæ diuina liberalitate adepta erat, vt ijs ipſa frueretur, in omnium erogaret vtilitatem. & vitæ quoque, ſi tempus poſtularet,

pro-

prodiga incolumitatem interdum, ne quo detrimento regna afficerentur, in periculum adduxit: & populorum commoda vitæ diſcrimine generoſe eſt emercata. O factum glorioſum: O gloriam inaudita beneficentiæ ratione quæſitam. Liceat ceteris contempſiſſe diuitias, quibus populos ſubleuarent; liceat aurum effudiſſe, quo populi diteſcerent: at Margaritæ vitam paruifeciſſe, effudiſſe valetudinē: & dum ſuos Euergetas vetuſtas celebret, Margaritam poſteritas laudet; quæ optime ſuæ commendatas fidei gentes & amare, & beneficijs afficere nouerit. Non alia ſane antiquorum fuere numina, non alij Dij, Deæq; quam hiſce virtutibus inſtructi Principes; qui, quod regnis ſapienter præfuerint, quod homines adiuuandi ſtudio flagrarint, illud poſt mortem adepti ſint, vt Dij haberentur, colerenturq;. Nunc quid ego vobis patentes ad omnium vota ingentes illius animos referam? quid facilitatem, affabilitatemq; commemorem, quibus ea gratiſſimis additamentis ſingularia beneficia exornabat? Quid animos occulte allicientem ſuauitatem exponam? non equidem ea celebro: non his Reginam noſtram extollo: licet ſumma eſſet regnorum felicitas indulgentiſſimam habere Reginam: licet munificentiæ ſpecies eſſet nobiliſſima, id præſtare, ne quiſquam ab eius colloquio triſtis diſcederet. E largita illi natura fuerat indolem ſuauiſſimam, præferebatq; ea fronte hilaritatem quandam, qua ſpectantes ad rerum ſuarum ſpes meliores reuocare videretur: vt non ſecus, atq; exorientis diei initio, non animantibus modo, ſed inanimis etiam, ſpiritus addi conſpiciatur, ita Reginæ ſuauiſſimo aſpectu pulcherrimæ ſpes excitarentur. Hinc tantus ad eam, quoties in publicum egrederetur, eorum concurſus, qui oculos, qui animum, intuitu illo ſatiare tentabant,

cuius

eiius acriori exardeſcerent deſiderio. Nimirum in hilaritate vultus Regij vita, & clementia eius diu expectata pluuia lõge iucundior. Addam ne comitatem illam, qua Regis animum grauioribus aliquando curis oppreſſum, ac fluctuantem, quaſi ſuperueniens ſerenitatis ſidus ſubito pacaret? At his puellula patris deliciæ, matris amores, fratrum, atq; ſororum voluptas, ſuorum iucunditas fuerat. Addam ne ingentem illum, ac maternum amorem, quo eos, qui in ſua verſarentur aula, proſecuta, cum ijs tanquam filijs agere, nihil mandare, nihil pro imperio exigere, ſed monere, conſulere, amabiliter expoſtulare conſueuerat? Sed quid hoc? ſi eius celeberrima vox, nemi nem decere tam eſſe humanum, quam eum, qui in plurimos homines dominationem habeat, & poteſtatem. Addam ne præclaram accedentes excipiendi rationem, & inſuetum Regibus ſpectantes, alloquentesq; detinendi modum? At ea omnium parentem imitari in animum induxerat, vt non aduenientes tantum peramanter exciperet, ſed aduocaret etiam, quibus ſe benignam, clementem, miſericordem, præberet. An forſan reuocatam dicam intra regiarum parietes iamdiu exulantem amicitiam, pulſaq; adulatione, quæ ementita ſacri fœderis nomen, proprias ſedes Regum aulas ſibi vendicare ſolet, reſtitutas ſũmi boni leges, quod magnis quibuſq; Principibus deeſſe putarant ſapientes? Nimis hæc multa forent, cum alienum Margarita a ſua dignitate non duxerit, quod Agamemnoni ſupremo Græcorum Regi honeſtum fuit, habere aliquos in conſilijs capiendis, ducendisq; ſermonibus Neſtores: quos cum veritatis ſtudioſos vndique plurimos exquireret, tum vero aduerſus ſuam ſententiam audacter differentes, libentiſsime audiret. Mirum ſane, Auditores, videri poſsit, ea conſulto

 eſſe

eſſe negligenda, quæ laudanda forent: ſed illud eſt admirabilius, Chriſtianam pietatem, qua, veluti Sole, Margarita coruſcabat, reliquas virtutes, quibus, quaſi ſideribus, illuceſcebat, e noſtro conſpectu eripere, & ad ſe vtpote omnium præcipuam volentes, inuitoſque trahere admirandam. Siquidem hæc tantum emicuit, hæc ſe, vitamq; ſuam, hæc regna omnia adeo illuſtrauit, vt nuſquam eius nomen auditum ſit, quod omnia mundi loca, omneſq; receſſus penetrauit, quo non audita etiam ſit ſingularis pietas: cum æternas haſce ipſius laudes loquãtur, cum immortalem gloriam celebrent ingentia ædificia, regali sũptu ab ea conſtructa, exornata magnificentiſsime: cum tot immortales oratores, quot Sanctorum corpora, oſſa, relliquias tam ſedulo conquiſiuit, tanta cura e tenebris in lucem reuocauit. Tot prauæ conſuetudines, tot peruerſi mores, qui altius iã radices egerant, euulſi penitus, tot exterminati deteriores vſus oratore indigeant? Deſinet certe prius eloqui mortalium genus, quam ſileat eius pietatem, quæ auguſtiſsimum Dei, religioniſq; templum, quod nec longa dies poſſit diruere, non ære, non argento, non auro, ſed expreſſa ſanctimoniæ imagine in animis hominum excitauit. At ſi antiqua hæc ſunt Auſtriacæ genti, antiqua Bauaræ, præſtantiſsimam tamen Reginam vtriuſque ſtirpis decora ſuperaſſe, inuſitatæ teſtantur commendationes, quibus cumulata vixit, quibus onuſta diſceſsit: multo inquam magis ſuis Hiſpanijs, ipſam breuiſsimo tempore pro fuiſſe, quid ſectandum, quid fugiendum eſſet, edocentem exẽplo, quam verba, voceſq; illorum, qui plurium annorum ſpatio arguendo, obſecrando, increpando, vitam exercuiſſent, confeciſſentq;. Haud equidem Margarita his nominibus prædicanda eſt, quibus ceteræ Reginæ immortales ſibi quæſierunt

hono-

honores, cùm illa abundè ſuppetant, ſi modo ijs explicandis cuiuſquam vires ſufficiant, quibus ex earum exempta numero, in altiſsima dignitatis gradu collocetur. Quis pari eloquentia inauditas antea laudes exponat? Margaritam, in ſuas prouincias receptam, in ſummo felicitatum vertice, non ſpectaculis, non regijs oblectamentis, non populorum vocibus detentam aſpera, & deſerta loca confeſtim adijſſe, vt in ſacratiſsima Matris totis Hiſpanijs celeberrimo templo regnum auſpicata, quaſi e cælitum regia ad hominum prodiret imperia. Quis pari verborum, ſententiarumque grauitate mortali ſenſu carentis animi mira exempla referat? vidiſſe Philippum Regem, regnaq; filio, quem recens pepererat, feliciſsima, nec plauſibus, nec regnorum gratulationibus ſe ſe in cælum ferentium commotam, aut ea re ſibi quidquam placuiſſe, aut virtutis ſuæ vel tantiſper oblitam humanæ quidquam indulſiſſe imbecillitati: immo offerentem filiolum æterno Regi, nullam ſibi gratiam habendam, nullam ſibi partem in magna omnium proſperitate tribuendam, oſtendiſſe: aſpexiſſe antiquiſſimi regni proceres ſacramentum præſtare filio, audiſſe omniũ voces Regem ſuum appellantium, ſummo populorum conſenſu, ſumma lætitia, nec ſuſpexiſſe fortunam ſuam, nec inde diſceſſiſſe elatiorem. O pulcherrimos ex ipſa mortalitate ductos triũphos! O magnas, O pias actiones, & quas omnium dixerim maximas, niſi maiorem ſibi gloriam ex alijs Margarita comparaſſet: quæ, cum animum intra regiam fortunam compeſcẽs cunctas ea laudẽ regnantes feminas ſuperaſſet, vt ſemetipſam poſtremo vinceret, ad inuſitata priuatis, ne dum magnis Principibus, facinora progreſſa, nuſquam inuictam mentem conſiſtere declarauit. Quotus enim quiſque fuit, qui non ſæpenu-

mero admiratus ſit, potentiſsimam Reginam, cui ſummi Principes, atque opulentiſsima regna inſeruire debuerint, quo regiam fortunam dediſceret, tenuioribus miniſtraſſe? in qua equidem re laudanda bene omnium hominum voces, omnium oratorum artes collocarentur: atq; ipſe libenter quidquid in me reperitur eloquentiæ, ſi modo quidquam eſt, effunderem, niſi apud vos verba facerem, qui inclitam illius ſororem Sereniſsimam Mariam Magdalenam laudis huius æmulam, & de nobili palma cum ea decertantem admirati ſitis. Quam pulchrum, Auditores, regiam amplitudinem virtute ſuperare: &, cum inde gloriari liceat, quaſi a tenuiori laude abhorrere: quam redolet ſapientiam, ex ea ſurgentes prædicationes, atq; e virtute natas internoſcere: has conſectari, illas negligere. Potuit Margarita felicitate ſua gloriari: potuit in tanta laudum copia, in tanta rerum vbertate ſibi placere. At nõ bos ſibi quæſiuit honores: ſed tantum e regia fortuna libenter accepit, quantum Catholicæ religionis propagandæ optatam facultatem daret, ſolidæq; pacis inter Chriſtianos Prinsipes conſtituendæ poteſtatem. Non illi ampla ſatis Hiſpaniarum regna viſa ſunt, cum honeſtiſsimo prouehendi diuini cultus deſiderio impulſa, nihil ſe feciſſe rata, quod ea excoluiſſet, in extremas mundi prouincias maioribus conatibus nobiliora tentans, animũ conuertit. Parũ ergo erat, Sacerdotes ſanctiſsimos illuc quotannis miſiſſe: parum doctiſsimos veræ pietatis magiſtros ijs regionibus ſuppeditaſſe: niſi Luſitanorũ Regẽ Sebaſtianum æmulata eſſet: & quod ille Conimbricæ fecerat, vt orientis populis opitularetur, ipſa Salmanticæ aggreſſa foret, vt e Patribus Societatis Ieſu ſeminariũ conſtitueret Theologorũ, quorũ ingens numerus ſingulis annis ad noua occidẽtis regna Chri-

ſti nomine illuſtranda proficiſceretur. Scilicet ea, Auditores, Themiſtocleo quodam ardore correpta ſibi non eſſe quieſcendum rebatur, donec omnium geſta ſuperaſſet. Quin etiam diuinam imitata prouidentiam, quæ omnes orbis partes reſpicit, quamuis non omnes ſuum venerentur auctorem, aggreſſa ſæpius eſt regnorum tranſilire fines. Audiuimus alienas prouincias, alienaq; imperia perquiſita, quibus excellens virtus explicaretur. Audiuimus in ſuam Germaniam magna huius generis collata beneficia, aduenięteſque inde homines, alente Margarita, in celeberrimis Hiſpaniarum Gymnaſijs ſacris Theologiæ ſtudijs operam nauaſſe: nobiliſſimaq; inſtructos ſcientia, ea iubente, in ſuas prouincias, operarios in lautiſſimam meſſem, eſſe reuerſos. Huius ipſius conſilijs, nequid intentatum relinqueretur, quo parta pijs felicitas, & muniri poſſet, & augeri, inita ſororum matrimonia ingentia Chriſtianorum Reipublicæ peperiſſe commoda vidimus. Quippe fauſtiſſimo Conſtantiæ, ac Sigiſmundi Polonorum Regis coniugio pacata Vngaria eſt, Polonis conſeruata quies, diſcluſi penitus, & ſpe tranſitus deiecti ad noſtra damna properantes Sarmatæ. Tuis vero, Sereniſſime Magne Dux, & Sereniſſimæ Mariæ Magdalenæ feliciſſimis nuptijs, æternæ paci inter Chriſtianos Principes pulchre conſultum eſt: cum Auguſtiſſima coniux Hiſpanias, Polonias, Germaniam arctiſſimo affinitatis vinculo tibi deuinciat, qui Gallias iampridem, & ex Sereniſſima Matre, & earum Regina tibi coniunctas, & quotquot alij ſunt Principes viri, ijs regnis eodem affinitatis iure conſocies. Ceterum ea pietas huius Reginæ erat, is Zelus Domus Dei, qui ipſam nunquam ſibi ſatisfeciſſe ſiuerit, cũ ceteris abunde, cum plene regiæ dignitati, cum gloriæ ſuæ cumulate ſatisfeciſſet. Sed

 cur

cur ego, vt id oſtendam, aut regnorum redditus diuino cul tui inſeruientem libentiſsime erogaturam fuiſſe dicam, quæ regna omnia, ſi liceret, libenter ſe profuſuram aſſereret, dummodo vel minima monſtraretur Chriſtiani nominis vtilitas? aut amplius celebrem immenſam illam, diuinamq; mentem, volutantem magna, & expedientem difficillima, ad ſacræ religionis incrementa, non prudentibus modo conſilijs, ſed armis etiam adiuuanda? Ignotum fortaſſe eſt, eam Principibus omnibus, in communem hoſtem aliquid molientibus, ſemper adfuiſſe: & cœptis aſpirantem laboribus, auxilium, ſuppetiasq; a Rege impetraſſe? Obſcurum, hac honeſtis conatibus fauente factum fuiſſe, vt Chriſtianorum Reſp. erepta ſibi arce Croatiæ ſe potituram ſperaret: cùm tot hominum millia, quot a Rege impetrata illuc miſerat, optati euentus ſpem certiſsimam attulerint. Inauditum, ipſam ſpiritum, animumq; pulcherrimo corpori addidiſſe, quod non multis ab hinc annis in magna Germania conflatum fuerat, Duce Maximiliano Bauaro, ad orthodoxam pietatem in priſtinam dignitatem, imperiumque reſtituendam? Immortalis Regina, quid cauſæ eſt, quin te Germania dicat matrem, & glorioſis appellationibus toties a te expectaſſe ſalutem teſtetur? Sane ad vniuerſi orbis felicitatem fatalis mulier illud merito nacta eras imperium, vnde quidquid in hac inferiore mole fiat, aut initium, aut pondus, aut magnum certe momentum accipiat. Confirmaſti id ipſum tum ſæpius, tum vero iuculentiſsime, cũ perpetuos omnium hoſtes excindere cogitans, Armutij regna magnis deſeruire poſſe optatis exiſtimaſti: nec longis exterrita itineribus, nec maria reformidans inhoſpita, illinc auxiliares copias, illinc poſſe triumphaturos duces mitti ad Perſarum Re-

gem, id per oratio es a Philippo petentem, credidiſti. Non plane eſt, cur iſtius deſiderij, quo tenebaris ingenti, Eccleſiæ prolatandi fines, perdendique hoſtes illius, loca omnia peruagantem gloriam exponam, ſi eius toto Oriente Regū maximi legatos, ad opem contra immanes Turcarum vires implorandam miſſos, ad te adeuntes tuum apud Regem flagitaſſe patrocinium referam. Nihil iam eſt, regiones noſtras tuas laudes prædicare, ſi remotiſsimæ etiam ingeminent: nihil, te tua regna vna voce dixiſſe benignam, ſi talem quoq; experta ſunt aliena: nihil, Europam bene de ſe meritam appellare, ſi Aſia etiam hoc nomine extollit: nihil, nullam vidiſſe parem occidentem Solem, ſi nec exoriens quoque aſpexit. O noſtra tempora felicia, quibus magna nomina, meritis quæſita illuſtribus mulier tentauit adipiſci: eorum titulos expetiuit, qui defenſores, propagatoreſq; Eccleſiæ dicti iampridem fuerant: & quæ Hiſpanorum Regum eſt, ſibi propriam facere conata eſt Catholicæ Reginæ appellationem. Quæ ætatis noſtræ felicitas hæc poſteris celebrabitur? quibus laudibus diuina virtus extolletur, cum vetuſtas acceſſerit, quæ decus pulcherrimis etiā rebus addit? ſi nos, qui per idem tempus viximus, qui herbeſcentem vidimus, omnibusque numeris abſolutam poſtea perſpeximus, ita ſplendeſcentem agnouimus, vt ſuſpiciendi potius ſatis, venerandiq; ratio, quam ſeges deſit. Jam veluti cum felicia ſidera, poſt longa annorum ſpatia, iterum ſe benigno intueri aspectu cernunt homines, eadem euentura eſſe augurantur, quæ alias humano generi ad amplitudinem ea præſtitiſſe viderint, ita Philippi, & Margaritæ egregia facinora, exterminandi Barbaros ſtudium, Chriſtianique nominis illuſtrandi ardorem animo verſantibus reuocari paulatim videbantur

debantur feliciſsima tempora, quibus Hiſpaniarum regna patri Ferdinandi, & Iſabellæ conſilio adminiſtrata claruerant; eorumq; in immenſum gliſcente fama noui primum orbes fuerant reperti. Iam grandia tentari Araccia oppugnatione aſpiciebantur: iam hoſtibus erepta propugnacula, iam debellata maria, iam ſecundiſsima accepta futurorum omina erant, eius toti Oceano imminentis arcis expugnatione. Iamque ea, quæ Auſtri ſedibus ſubeſt tellus, Hiſpanis Regibus reſeruata, Philippi, & Margaritæ auſpicijs patere videbatur. Tantum videlicet maiorum gloriæ defuiſſe exiſtimabatur, quantum horũ aſſeruaretur felicitati. Has ſibi palmas Hiſpaniarum regna, hęc trophæa pollicebantur: fruebanturque interim proſperitate sũma, quam Reginæ Margaritæ admirandus in populos amor, humanæ prudentiæ, ingenijq; exuperati fines, inexhauſti beneficentiæ theſauri, omnes animi, corporiſque excelſiore quodã modo coaceruatæ dotes, veræ religionis fulgentiſsimus nitor, ac Zelus, reddebant gratiorem. Lætabantur res ſuas fluere in dies feliciores, creſcente nobiliſsima prole filiorum, quos Margaritæ paria virtutibus munera, ac perpetuæ regnorum beatitudinis pignora, iam ſex impertitus fuerat omnium bonorum auctor. Iamdudum elati populi incedebant, quod eos ſub Matris ſanctiſsimæ diſciplina in vitam ingredi, in omni virtutum genere educari, ad imperia inſtrui cernebant. Quando, O rerum humanarum varietas, in ſupremo felicitatum cumulo, ſeptimum Heroem orbi elargita, eripitur. Eripitur Margarita. O miſeram hominum ſortem: O dura mortis iura. Et potuit ea interire, quæ geſtis immortalibus æternam vitam ſibi quæſiuiſſe videbatur? quæ longum diem ſeruatura credebatur Hiſpanijs, longum Italiæ, longum Germaniæ, longum etiã

Indiarum regnis, & Tranſmarino orbi, ipſo primo mane obſcuratur? Quis orbi decor ereptus? quod hominibus virtutis exemplar? quæ feminis ad imperia natis ſublata imperandi norma, ad quam conformatæ ſibi gloriam, ceteris ſalutem compararent? O res hominum afflictas, niſi mundi columen ſuperſit Philippus: niſi orbis totius ſpes certiſsima Hiſpaniarũ Princeps, niſi ampla Regum, Reginarumq; ſoboles, regias Matris virtutes ſe repræſentaturam iam iam confirmaret: atq; eam Chriſtianæ Reip. quietem, vniuerſo terrarum orbi claritatem polliceretur, ad quam ab exordio ſui ad hac vſque tempora non aſpirauit. Hac potiſsimum certa futurorum ſpe, his cogitationibus extinctæ Reginæ dolor leniendus eſt. Et cum cetera virtutum exempla ab ea homines didicerint, cum inſignis in ſecundis rebus moderationis documenta ab ea acceperint, illius etiam in aduerſis animi æquitatem imitentur. Non ſemel inclita femina, vt mortalis eſſe agnoſceretur, iniqua fortunæ ictus excepit: & Patre prudentiſsimo, fratribus, ſororibuſque, & ſocero ſapientiſsimo, & Matre Auguſtiſsima, amiſsis: & ex infeſta pariter, atque proſpera, magnos egit triumphos. His homines exemplis illuſtribus ad conſtantiæ gloriam, Margarita viam monſtrante, tendant: Memores, diuinum fuiſſe quod naſceretur: quod ex hac vita diſceſſerit, humanum: Memores, nefas eſſe mortem vocare, qua ſublimis Reginæ mortalitas potius, quam vita, ſuo fine conclusa eſt: Memores, inuiſere tantum hominum ſedes numina, non incolere: deſcendere cælo tantum, non migrare.

F I N I S.

Legi hanc orationem funebrem, ac nihil in ea, quod Chriſtianæ pietati, boniſue moribus aduerſetur, offendi.

Alex. Strozza Canonicus Floren.

Imprimatur ordinib. conſuetis ſeruatis

Petrus Nicolinus Vic. generalis. Flor.

Fr. Cornelius Flor. Inq.

Nicolaus Antellenſis Senat.

357585


NIL · CANDIDIVS ·

